



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Patris cœlestis, mira, dulcis, appellatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS VIII. PATER.

§. I. Cœlestis.

Non dixit: *ascendi ad Patrem nostrum*. Joan. 20. 17. nē esset communio creaturarum cum Unigenito; sed *ad Patrem*, inquit, *meum*, & *ad Patrem vestrum*: aliter meum per naturam; aliter vestrum per adoptionem. S. Cyrillus Jerof. Catech. 11

Deus dicitur Pater creatione, adoptione. Rom. 8. 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum* Instrukione Isaiæ 38. 19. *Pater filijs notam faciet veritatem*. Correctione. Prov. 3. 12. *quem diligit Dominus, corripiat*. S. Thom, Aqu. in Jer. c. 3.

§. II.

Patris mira, dulcis, appellatio.

Pater noster, qui es in caelis. Matth. 6. 9. O maximam Dei benignitatem! his, qui defecerunt ab illo, & in extrema inciderunt mala, tantam præstitit malorum oblivionem, & gratiæ participationem; ut Patrem sese appellari voluerit. S. Cyrill. Jerof. Catech. Mytag. 5.

Quid tam auget fiduciam? quid tam inflammat affectum? quid tam lætificat humilem animam? sicut Deum verum, & summum velē à Fidelibus Patrem vocari, eumque fiducia- liter Patrem vocare. Dion. Carth. hic.

Qui? cui dicimus, *Pater noster*? nos quondam filij iræ, filij gehennæ, filij mortis, filij diaboli, dicimus *Pater noster*: Patri misericordiarum, Patri cœlestis patriæ, Patri vitæ sempiternæ, Patri D. N. J. C. Dei sibimet coequalis, & coæterni. Rupertus l. 5. hic.

Quanta Domini indulgentia! quanta circa nos dignationis ejus, & bonitatis ubertas! qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei; ut Deum *Patrem* vocemus; & ut est Christus Dei Filius, sic & nos Dei filios nuncupemus: quod nomen nemo nostrum in oratione attingere; nisi ipse nobis sic permisisset orare. S. Cyprianus l. de orat. Dom.

O amoris abundantiam! percussō animō inexplicabiles largæ illius in nos divinæ bonitatis opes admirare; qui talem, ac tantum, vocare *Patrem* es ausus. S. Chrysol. tom. 6. or. de instit. secundum Deum vita.

Frater S. Bernardi Gerardus, ut S. Bernardus refert f. 26. in Cant. cum ad extrema venisset, & solemnem illam abeuntium formulam à Christo propositam usurpasset: *Pater! in manus tuas commendo spiritum meum*. Luc. 23. 46. regullatā eā Patris appellatione conversus ad fratrem adstantem, non satiatus ejus vocis sæpius iteratā suaviatone; quanta,

inquit, dignatio Dei, Patrem hominum esse! quanta hominum gloria, Dei filios esse, & hæredes! Doultreman de am. l. 5. c. 2.

§. III.

Patris cœlestis bonitas.

Surgam, & ibo ad Patrem meum. Luc. 15. 18. Quā spe? quā fiducia? quā confidentiā? Quā spe? illā, quā Pater est. Ego perdididi, quod erat filij; ille, quod patris est, non amisit. Apud patrem non intercedit extraneus: intus est in patris pectore ipse, qui intervenit, exorat, affectus S. Chrysol. f. 2.

Vidit illum Pater ejus. Luc. 15. 20. Quis ille nobis intelligendus Pater? Deus scilicet: tam Pater nemo, tam pius nemo. Tertull. l. de pœnit.

Accurrit, & cecidit super collum ejus. ib. Rogo, quis hic desperationis locus? quæ hic excusationis occasio? hic simulatio quæ timoris? nisi forrè timeatur occurfus, terret osculum, turbat amplexus. S. Chrysol. f. 3.

Non ita gaudet vocari Dominus, ut Pater; neque sic amat habere servum, ut filium. S. Chrysol. f. 10. in ep. ad Rom. c. 6.

Ipse quidem Patrem se exhibuit mihi; sed non ego vicissim me illi filium. Quantā fronte attollo jam oculos ad vultum Patris tam boni? tam malus filius! Pudet indigna gessisse genere meo! gaudet tanto Patri vixisse degenerum! S. Bernardus l. 16. in Cant.

§. IV.

Pater carnalis.

Est pœnes patrem dulcis conditio, libera servitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda ultio, paupertas dives, secura possessio. S. Chrysol. f. 1.

In filio est substantia patris tota? & ideo nūl pater perdidit, cum recipit. Id. f. 4.

O quid facit vis amoris! quamvis malo filio, non esse nescit, non esse non potest pater. Videt filium degenerasse animo: videt paternæ pietatis, paterni generis, nūl habere; & tamen nuncupat filium. Id. ib.

Disertus aliquis pater si sit tantus orator, ut linguā illius fora concrepent, & tribunalia concutiantur; si habet parvulum filium, cum ad domum redierit, seponit forensē eloquentiam, quō ascenderit, & linguā puerili descendit ad parvulum. S. August. tr. 7. in Joan. 1. 50.

Propinquorum quot oculi, tot lucernæ: dies est aspectus matris, sol patris rutilet in vultu. S. Chrysol. f. 1.

Libris suis pater vice Dei est. S. Gregor. Naz. ad Vitalianum.

TI-